

- 1426 *Pischeriam a Mantuano Principe (quem nobis fœdere & amicitia junctum non ignorabat) repetere est ausus , is Veronam , Vincentiam , & quicquid pene in continentis ora tenemus , si bona venia non dabitur , armis non repetet ? Nulla itaque impensa , cujus tolerandæ Dei benignitate potentissimi sumus , nulli , si me auditis , labores , quando pacem nobis & ocium allaturi sunt , tanti erunt , ut cum Florentino societatem , fœdera non statim ineamus , bellumque adversus tyrannum forti suscipiamus animo : bellum , dico , non minus utile , quam necessarium . Vehemens Principis oratio & auctoritas , quæ in eo plusquam ducaria fuit , ita movit Senatum , per se antea ad id spectantem , ut omnibus ferme suffragiis decreta sit cum Florentinis societas : accitoque in Senatum eorum legato , fœdera , quæ usque quo debellatum esset , tenerent , in hanc sententiam conscripta : Ut communi utriusque populi impensa Florentinus Venetusque sexdecim equitum millia , octo peditum ad bellum armarent : Classes duæ instruerentur , quarum unam per Padi fluentia Veneti Philippo opponerent , Florentini alteram in Ligustica ora haberent : Nec prius aliterve quam Venetus jussisset , pax cum Philippo fieret : Quicquid urbium oppidorum solive ex hoste caperetur , intra Flaminix fines Florentinorum esset : cætera Veneto imperio cederent , aut cui Venetus vellet . Ubi eas conditiones , ut scriptæ erant , Laurentius Florentinorum nomine probavit , ad Principis pedes provolutus , sponte sua in hæc verba , quam potuit alta voce , juravit : Nullum unquam futurum diem , quo Florentinum populum ejus beneficii caperet oblivio , essentque res Venetæ semper salvæ . Sed si ullo unquam tempore difficultas rerum aliqua Venetum premere cœpisset , paratos promptosque Florentinos fore , rem Venetam pro viribus juvare . Secuti novam societatem Nicolaus Æstensis , & Franciscus Gonzaga , Amadeus Allobrogum Dux , Alphonsus Rex , Florentinis antea conciliatus , & ob vicinitatem Senenses . Miserunt ad Philippum Veneti Franciscum Serranum , scribarum unum , qui eum moneret , ut bello statim abster-*
ret ,

Decreta
cum Flo-
rentinis so-
cietas &
fœdus .